S. D. Anno decimoquarto ad te scripsi (clariss. vir) atque id audentius, quod te per humanum esse honestarumque artium professorem constans fama erat, hactenus nihil literarum ad te dedi ob ingentem fortunae mutationem, inaudieram enim te primo Caesaris manu laureatum, deinde, quod tuis virtutibus dignum erat, ordinarium poetices lectionis praefectum, accesserat postremo summus ille Viennensis Gymnasii Magistratus, quibus honoribus cum te perfunctum viderem, ne scribere quidem audebam, nam tenuis fortunae homuncionem, tantae dignitatis fulgor facile a scribendo deterruerat, verum ex litteris nuperrime ad Eckium nostrum missis, multa salute ~~tuum~~ amantem tuum Urbanum obruisti: ut liquido intelligerem te virum magnanimum fortunam utramque aequo ferre animo posse, nec unquam aut fortunae, aut honorum fastigio insolescere: facilem te praebere vel litteratoribus, si qui tuorum amicorum numero haberi cuperent, Quid igitur scribam? nihil sane habeo, quam pios et amicos affectus, quos ingenue in te hominem mihi amicissimum effundam, dici mehercle non potest quanto sim gaudio perfusus cum Vadianum Conterraneum meum virum non minus doctum quam Eloquentem, praemia singulari illo ingenio, omnigenaque eruditioni ~~[illegible]~~ debitissima consecutum accepissem, teque in frequentissimo auditorio tanta gratia profiteri: ut in te Chunradus Celtis Germanorum poetarum primus revixisse existimetur et quod phoenice rarius est, nemo auditorum sit cui displiceas: nempe Eloquentiae adeo feliciter eruditionem copulas ut qui linguae nitore capiuntur, abunde habeant, quo oblectentur, quibus doctrina placet, sapientiam ex te ceu promptuario hauriat in omni scibilium genere. Id quod verissimum esse didici, postquam divinam illam Ingenii foecunditatem in Gallo tuo elegantissimo conspexi, in quo dii boni, quanta vel verborum vel sententiarum ubertas: quod artificium, et quod citra fucum dixerim, opus tam doctum ut ne Momus quidem carpere queat, loquor quod sentio, animum in fronte gero, nec vereor ne eo iudicio decipiar, ut quod non ex amore proficiscatur, sed amore potius ex iudicio, Gratulor patriae nostrae tantum virum, Gratulor Viennae, quod te duce amoenissimum Musarum domicilium fit. Soleo saepius cum Eckio praeceptore meo de tua conditione deque studio indefesso commentari cum eisdem invideo dulce illud Vadiani colloquium, sales, lepores, quibus anno superiori recreatus est, Meo item Rodolpho Agricolae iucundissimam hanc consuetudinem invideo, qua ipse ~~[illegible]~~ tam vellem, quam quod omnium maxime, sed et alii idem desiderant. nondum arbitror e memoria tua effluxit Mathias Cretz tibi olim condiscipulus, is enim mihi collega de nullius sui mentione tam vehementer laetatur ac sui Vadiani, honorifice de te loquitur et unice diligit. In summa. Amicos et nominis tui admiratores undique Gallus tibi comparat aut excitat. Utinam et alias tuas Lucubrationes Bibliopolae apud nos venderent. pulcherrimas Vadiani Imagines, quandoquidem, maxima locorum intervallo disiunctis oculi adesse [illegible] negatum, nihil praeter eorum quae Viennae excuduntur, ad nos pervenit: quod dolentissime fero tum propter alios tum maxime tuos libros, quos tua manu non parum multos formari diximus, etiam nihil habeo quod absentis amici desyderium leniat, Tu Doctorum decus unicum Vale et extemporariam scriptionem a febribus laboranti tumultuarie excidentem boni consule. Gundelii mei tui studiosiss. noluit sine meis has abire. Ingolst-

adij 10 Maij Anno [illegible] | M. Urbanus Regius

Eloquentiſſimo & Doctiſſimo Viro Dno
Joachimo Vadiano Oratorię artiū
& Poetice in Viennensi gymnasio
lectori ordinario profeſſori fautori
ſuo amiciſſio.

Vrbanus Rhegius

Viennę